

Q. K. 376, 20.

X 1903727

II n
5099

2. D. F. F. E. I.

DISSERTATIO MORALIS,

De

JUSTITIA STRATAGEMATIS

In

COMBURENDIS

NAVIBUS BATAVICIS

A BRITANNIS ANTE BIEN-

NIUM INSTITUTI,

Quam

IN FLORENTISSIMA ACADEMIA WITTEBERGENSI,

PRO LOCO

IN AMPLISSIMA FACULTATE PHILOSOPHICA

BENEVOLE SIBI ASSIGNATO,

PRÆSES

M. JACOBUS RÖSER /

SONDERSHUSA SCHVARTZBURGICUS,

ILLUSTRIS GYMNASII EPPERIESENSIS IN SUPERIORI

HUNGARIA HISTOR. ET ELOQVENT. PROF. ORDIN.

VOCATUS

RESPONDENTE

SAMUELE LADIVER,

SOLNA HUNGARO,

ERUDITORUM CENSURÆ EXPONIT

IN AUDITORIO MAJORI,

AD DIEM XVII. DECEMBR. HORIS MATUTINIS

ANNO RECUPERATA SALUTIS M. DC. LXVIII.

In Officinâ FINGELIANA excudebat MICHAEL METER.

J21 20



D. D. K. A. L.
DISSERTATIO MORALIS

JUSTITIA STRATAGEMATIS

COMBURENDIS

IN PARS BATAVICIS

A BRITANNIS ANTE BIENN-

NUMINIS

IN FLORANTISSIMA ACADEMIA WILBERTRANST-

PROLOGUS



M. J. A. C. O. R. D. S.

SONDERABDRUCK DER SCHWABENHOFER

DRUCKERIS GEMÄSSLICH FÜR DIE DRUCKER

DRUCKERIS FÜR DIE DRUCKER

SAMUEL J. A. D. I. V. E. R.

SOLINA HUNGBRO

ERNDTDRUCKERIS

IN DER DRUCKERIS

DRUCKERIS

DRUCKERIS





PROOEMIUM.

A Nimosior quàm par erat, & si gravius dicere animus esset, temeraria vox erat Alexandri apud Curtium lib. IV. cap. 13. quâ vel Parmenionem, vel Polyperconta, Darium hostem viribus longè superiorem, omniq; loci commoditate, quâ explicari acies poterat adjutū, nocte in tempestâ ac nocturnâ trepidatione opprimendum esse suadentes, increpare sustinebat; *Furum & latrunculorum ista solertia est, inquit, quam precipitis mihi, quippe illorum votum unicum est fallere. Meæ verò gloria semper aut absentiam Darii, aut angustias locorum, aut furtum noctis obstare non patiar: palam luce aggredi certum est, malo me fortune pœniteat, quàm victoriæ pudeat.* Quamvis enim adeò non repudiemus illud Tiberii Principis Agandestrio Cattorum; responsum: *Non occultè & fraudulentè hostes superare convenit, ut Alphonsum, Aragoniæ Regem, qui Panormitano ex Salustio dixisse creditur: vinci præstare, quàm malo more vincere, animositatis pariter ac virtutum principis Justitiæ laudem commeruisse fateamur haud inviti, nec tamen ab hac, quam diximus, vel temeritate vel imprudentia absolvunt Alexandrum.* Prudentiæ quippe hætenus creditum erat, non unicè fortunæ fidere; Sed rationem in consilium vocare, ubi imprimis robore par non sis.

Non timiditatis æstimatum unquam, si suppletum est fraude legitimâ, quod virium defuit paritati, ut solertia ac dolus bonus Romanis regiæ viæ tenacissimis; in hostibus verò negligentia, si quod industria ac vigilantia elidere potuissent passi, audiverit. Rectè Zigelus lib. 3. cap. 1. §. 17. in Grot. p. 525. *Non negaverim hostem Reipublicæ tam gestu & signis; quàm consuetis sparsisq; literis aut vulgato falso rumore falli licitè posse, quandoquidem ille commercium juris Gentium jam violavit & per ordinariam juris viam in ordinem redigi non potest, Vid. Hulseman. in Brev. cap. 12. n. 24.* Nec alio nomine à prudentiæ civilis Doctore Tacito Germanicum laudari credimus, quàm quod fraude, magis hostem illiciendo, & decipiendo, & ex insidiis aggrediendo su-



peraverit, quàm aperto Marte. *Sine vulnere, inquit, miles, qui semi-somnes, inermes aut palantes ceciderant* Anal. 1. cap. 51. Hinc non omninò inhumanas Gentes, Lacædemonios puta, si fraude hostem superasse fama retulit, bovem immolasse Marti legimus, si aperto prælio, gallum duntaxat apud Polyb. lib. 2. Histor. Conf. Livius, Forstnerus Tom. 1. p. 628. Jam verò constabat, Alexandro, multitudinem inconditam Dario esse propè innumerabilem ex omni ferè Orientis angulis vix nominibus notam excitam, vel centuplo majorem Macedonum exercitu & in campi planitie latisimâ, in quâ acies explicari possit omnis. Quam ergo spem victoriæ concipere poterat Alexander, ubi vel cingi multitudine proclive erat, nisi fortunæ unicè sua concrederet. ? Quare rectissimè ad unum omnes Parmenionis commilites ejusdem assensus esse sententiæ legimus. Nec uno illo verbo Alexandri, frustra esse, consilium, quod vigilias agerent Barbari, Darii milites, eversum esse Parmenionis consilium credimus Radero, quibus nequaquam fit vero simile, istud multâ jam nocte datum fuisse, sed in initio, vel sub vesperam potius, quo tempore nondum constare poterat, an barbari infomnem essent ducturi noctem, quamvis postmodum in armis pervigil exercitus Darii teste Ariano steterit. Sed nec Livius lib. 13. nec Tacitus 2. Annal., nec in Catil. Salustius, nec in Rhed. Euripides, nec Claudianus, nec Florus nec Tucydides legitimas fraudes, quibus capitur hostis, nobis videntur repudiare. Sed vel de privatorum inimicitiiis loquuntur, è quibus omnes supplantationes abesse volunt, ut Euripides teste Lipsio lib. V. cap. 17. vel in occultam illam nefastam rationem per omnia clandestina grassandi scelera, quâ vel venefici & perfidi percussores paulò ante subditi, jam proditores in hostium necem mittuntur, uti conqueritur Alexander in Orat. ad Darii Legatos l. IV. Curtii c. 1. *Impia bella, inquam, suscipitis & cum habeatis arma, licit amini hostium capita, adeo quia ne belli jura quidem Darius in me servavit, non mihi persequendus est, ut justus hostis; sed ut percussor veneficus.* (Quamvis aliàs per percussorem ex suo vel extraneis, qui nulla iis in quorum caput emuntur, tenentur fide, interimere hostem olim jure Gentium non adversum fuisse testari exemplum videtur apud Livium Quinti Mutii Scævola, approbatum à justissimis Romanorum ut justum. Vid. Tacitus Histor. V. Grot. l. 3. c. 5. pag. 350.) Aut redarguunt clandestinum illud scelus, ut Livius vocitat lib. 3.

429.

lib. 3. hostem veneno aut vino illud immiscendo, aut fontes inficendo interimendi. Quod quamvis Vegetius, Baldus & suo modo Grotius, jure naturæ permitti edisserant, & hodiernum etiam sæpius contingat, ut notat Zevæcotius ad Florum lib. 11. in fine, meliorum tamen gentium consensus, ut Livius, Claudianus, Gellius, Valerius Maximus & Tacitus constanter edocent, nunquam non rejecit. Et hōs ipsos modos saniorum quovis à dolo bono utiq; excludit. Circumvenire ergò cum hostem, citra virtutis jacturam liceat, nec fraude legitimâ qui utitur, malè audiat, ut innumeri fufissimè persecuti sunt, nobis hâc vice tantùm inquirere animus est: *An actus iste, quò Britanni ducentas propè naves Mercatorias in portu Batavorum Flevii Tesselanoq; in favillas redegerunt jure belli exercitus estimari queat?*

§. I. Ne verò incuriosioribus quæ fata maneant exteros, conquerendi ansa sit, brevissimis actus illius historiam pertexere juvabit. Mensis Augusti nonus dies illuxerat, cum, postquam præterlapsis quibusdam solibus jam hic, jam illic appulsum simulassent & ad ducentarum propè navium omnibus ex orbis partibus, tutum incursum in portus Thessalanum & Flevolandiaë Britanni connixissent, Britannorum Legatorum Monkii & Roberti jussu, Eques Holmius & Habardus submersis ac incensis Batavorum navibus minoribus excursum mercatoriis navibus prohibitoris in validissimam ducentarum propè navium classem immisis incendiariis inveherentur tanto successu, ut majoris & ponderis & momenti navibus conflagratis & reliquas ad desperationem adigerent. Cum ergò resistere nesciæ mercatoriæ nullis adjuvarenur, admotis & reliquis Britannorum navibus, quas in auxilium, sicubi forsan malè res ageretur Britanni vocaturi erant, facilè tantum non omnes Vulcani sævitiam experiebantur, paucissimis exceptis Quineensibus, quæ in Flevii angustiis Britannis inviis navibus suis salutem quæsiverant. Damnum hinc, (ut ut non inhiantes bonis Britannos nec minimum lucri manserit) Batavos vel sexaginta vel plurium tonnarum auri oppresisse constat, quòd nonnullæ Rusiæ destinatæ pretiosissimis unionibus, margaritis, aurò argentòq; oneratæ in favillas redactæ essent. Quamvis verò & conflagrationem & deprædationem portus laudati Thessalani animo concepissent Britanni, nocte ta-

men intempesta & pluviali horrendaq; tempestate reprimebantur, usq; dum reditum maturare à ductoribus juberentur. Quæ fufius qui videre gestit, adeat Diarium Europæum Francofurtense ad Annum 1666. Mens. Augusti p. 44. ad 47.

§. II. Jure ergò hæc Britannorum infidiæ, quas cætera bellum nequaquam fœdare jam antè diximus an excusari queant, justæq; pronunciandæ sint disquiritur. Non sanè defunt, quæ paulò hæcce altiùs reputantem, jam huc jam illuc trahere queunt. Optimè nos nobis videmur rem expedituri, si & quæ negativam amplexantes, adeoq; sævitix crimen intentantes, & quæ à crimine omni absolvunt prudentiæq; ac fortitudinis laude Britannos exornant, momenta excusserimus. Examinatis autem iis acutius utiq; judicium in re cætera perplexa non desperabimus.

§. III. Qui ergò plus ausos Britannos hoc damno ac actu arbitrantur, eundem juri naturæ, cui cætera bella suam adscribunt originem ac fundamentum, dispositionem saltem juri Gentium juxta Hermogenianum debentes, aperte contraire, ex eo evincere satagunt. Quòd omnes actus bellicos istud haud secus permittat, quàm quatenus hostium vires infringere queo, ut enervatus, vel pacem petat, vel de damno aut injuria illata satisfaciat, adeoq; pax postliminio quasi reducatur. Rectè Cicero: *suscipienda bella sunt ob eam causam, ut non nisi pax quaesita videatur*. Actus ergò in bello ita instituti, ut nec hosti vires adimant, nec peridenti emolumentum afferant, rabiosorum esse, ait rectè Polybius l. V. Rectè Grotius, *nisi causa utilitatis svadeat, stultum est nullo suo bono nocere alteri* c. 12. lib. 3. p. 326. Ideò, qui sapiunt, utilitatibus moveri solent. Videatur Ziglerus l. 3. cap. 5. in Grot. pag. 542. item pag. 550. l. in cap. 1. §. 5. Quare quòd severiùs animadverterint in petulantissimos ejusmodi scelerum autores, nec sibi proficua, nec hosti detrimentosa incendentes hostium tuguria, GUSTAVUM ADOLPHUM & Wallensteinium recentior laudat historia. Quid verò Britannis per hocce emolumentum accessit? quid argenti, nervus belli? quid ex vini saccharique Moschorumvè deliciis maxima, quam vehebant, copiâ? Nihil quicquam. Historia enim si non fallit, Eques Holmii interpositis ultimi supplicii minis suos à deprædatione arcuit. Injunxit verò ut immisso igne, omnia dele-
lerent.

larent. Imò verò ex eadem discimus historiam, Batavorum Capitaneum Tollium, deleta incendiaria Britannorum nave fortissimè restitisse, quo non potuerunt non damnum quoddam Angli persentiscere. Ut jam taceamus, inquit, ad damnum aut confederatis, aut tamen non hostibus, quarum naves combusserunt, adstrictos se se reddidisse Britannos. Licet enim hæ extraneæ naves Batavis se se adjunxerint, jure tamen uti belli non acquiritur, quod hostium non est, nec hostilium animorum, sic nec pro lubitu in eadem grassandum erat, ut rectè jam olim Batavorum veteriores An. 1338. merces etiam in hostium navibus repertas amicorum, victoris libidini exemisse, testatur Grotius c. 6. l. 3. p. 327. §. 3. & 4. nedum eidem fato obnoxia erunt naves, quæ fortè fortunâ aliò dilabuntur. Nec detrimentum Batavis hostibus illatum tanti fuit. Id enim si quod fuit, ex eo æstimandum est, quod, præcisæ vel opes vel ea adminicula, quibus clasfis contra hostem agere ob stipendii defectum prohibeatur, vel onera, exsolvi alias solita, sustineri nequeant. Hoc verò asseri hic nequit, tum quòd plurimæ privatorum essent, qui tantum periclitari ex reducibus non nihil sperantes emolumentum, minimè tamen per hocce ad eas angustias redacti, ut oneribus belli sustinendis reliquis non fuerint ferendo. Notus quippe mos mercatorum, quod, licet vel plures naves, quisque suis sumptibus ædificare queat, quia tamen vel decem dominium navis unius sibi vindicent nec periclitentur fortunam, unò ictu, ut si forsan voto non responderet eventus, non unâ vice ad pudendam dilabantur paupertatem. Tum, quòd & exterarum nationum, quarum accuratiorem quæ fuerint historia non injicit mentionem, fuit potior hæc clades quæ Batavorum ararium nequaquam adauxissent. Tum deniquè, quòd licet & publico nomine naves nonnullæ expeditæ mercatoriae damnum persenserint, non tamen tam robur, quàm divitiarum abundantia subtracta est, quâ animus Batavorum nullatenus fractus putandus, ut potius incensus magis, majori solertiâ hostem fuerit persecuturus.

§. IV. At enim & jus divinum jam olim Judæorum aliorumq; nequitia repagula posuisse videtur, quando Deut. 20. v. 9. in



in hæc erupit: *Quando obsederis civitatem multo tempore & munitionibus circumdederis, ut expugnes eam, non succides arbores, de quibus vesci potes, nec securibus per circuitum debes vastare Regionem, quoniam lignum est & non homo, nec potest bellantium contra te augere numerum, ut Grotius c. 12. lib. 3. p. 362. Quod si ne arbores quidem frugiferæ excindi licite à Judæis poterant, quod ab iisdem utpotè ne utiqvam repugnantibus damnum expectari non posset (sermo autem est de arboribus frugiferis, quæ sunt in nostra potestate, nec hostibus in fructu esse possunt. Hodie enim eradicari posse, utpotè impediens tormentorum ictus certissimum est) concludi posse videtur; omnia ista, à quibus nullum damnum infligi potest, à belli furore remota ac immunita DEUM esse voluisse. Ut hinc rectissime Rabinorum doctiores ejus Legis generalitate ducti, nec ædes demoliri, nec fontes occludere; imò nec vestes dilacerare quidem, quæ impiam posse concludant; quod & saniores ex Gentilibus, ut Pythagoras, Thucydites ac Themistocles imitatos esse Grotius testis est l. c. Quod equidem de navibus mercatoriis optimè procedere quis non videt?*

§. V. Sed & imprimis jus Gentium cultiorum robustè proculdubio traduxisse & traducturum esse impietatis sævisimum huncce actum, utpotè sibi è diametro repugnantem. Cùm enim cautum legamus priscarum Gentium religione, ut mercatoribus haud secus ac iis, quos *etas & sexus excusat, ac à quibus hostes etiam irati abstinere*, ut loquitur Livius lib. 1. ut pueris, foeminis ac senibus immunitas præstaretur, sive venientibus, sive redeuntibus, in flagrantissimis bellis, uti ex Canonibus elucescit, quod jure belli in armatos repugnantesq; cædes sit; mercatores verò vitam ab armis alienam agant. Et hi ipsi tamen, uti sacerdotes, agricolæque necessitatis tempore militum munia explere possunt, ut in nuperâ Rigenis obsidione Anno 1656. à Moscho & Haffniensi à Svecis, quibus in ardor mercatorum ac studiosorum cum militum contendit, ut Hafniæ quidem vexilla reposita testantur, vel sicariorum vicem, aut exploratorum munus obire, aut alio quovis modo damnum dare possunt. Quidni multò magis, majoriq; jure, navibus parceretur mercatoriis

253-

toris, omnis planè vel invasionis, vel damni, nesciis. Nec ur-
feris, inquit, quicquam, quod hætenus tot seculorum centu-
riis jure belli, dejectiones murorum, ædium incensiones, non so-
lum, cùm ejusmodi depopulatio bellum minuere videbatur; sed
& post deditioem, si amplitudo mediocri præsidium non tutò
satis reciperet (ut apud Tacitum legimus.) Artaxatis ignis immis-
sus, quod præsidium non tutò imponeretur lib. III. licitissima esse
comprobatum sit.

§. VI. Hinc monitum Onesandri Strata: c. 6. *hostiam ter-
ram perdere, urere, populari meminere.* Idque exempla testari
tantum non omnium gentium, Halyattum in Milesios Herod.
lib. I. Thracum in Byzantinos Polybius lib. IV. Romanorum in
Campanos &c: &c: Livius lib. 7. l. 34. & 40. passim, cum Cæsare
de bello Gallico lib. 6. testatur. Vide Grot. c. II. lib. III. qui *ur-
bes dirutas aut mœnia solò æquata, populationes agrorum, incendia,
singulis fermè paginis apud Historiarum scriptores invenias, inquit;*
Imo quod mireris, ne sacris quidem ædibus & templis abstinuisse
victores leges apud Tacit. lib. I. nec à sepulchris temperatum.
Quare ergò parceretur navibus non minora damna daturis?
Nam adhuc sub judice lis est, respondent. An non hæc potius
abusui belli accepta ferenda, uti hodie efferata planè licentia &
omne fas & jus juxta habere milites assolent, & videtur id sanè o-
mninò affirmandum. Quamvis enim inficiari, nisi in historia
omninò hospes, sustineat nemo, eò nonnunquam quorundam
sævitiã progressam fuisse; ut sicuti nec infantum vagitu emo-
lirentur; nec fœminarum imbellium lachrymis vincerentur;
quod de Thracibus, captâ Mycale, refert Tucydides lib. 5., de
Alexandro, cùm Thebas cepisset, narrat Arrianus. De Germa-
nico cum Marfos everfurus esset, Tac. lib. I. & Tito mitissimo
Princìpe cæterà Svetonius; *pueros & fœminas, in spectaculo feris
laniandas, proposuisse.* Nec senù canã authoritate terreantur, quod
de Pyrrho Virgilius, Nec fata exuri, tecta dirui, prædas homi-
num pecorumq; agi, apud omnes nefas esset, ut loquitur Livius
lib. 31. Nec Sacris parcitum sit, ut Grotius fusiùs l. 3. c. 4. perse-
quitur; Nec tamen ex aliis vel iisdem Historicis obscurum est,
nunquam defuisse, qui in inveteratum illum, eumq; perversis-
simum

simum morem graviter inveci, ac licentiam istam sceleratam mirè radarguerint, uti passim idem Grotius testatur, c. 10. 11. 12. & 13. l. III. Ne jam dicamus de his, inquit, qui cædes puerorum & foeminarum & aliorum imbellium, quos vel ætas, vel sexus, & vitæ genus, ut Seneca loquitur, excusant, ut egregiè Alexander: *Cum captivis & foeminis bellum gerere non soleo, armatus sit oportet quem oderim.* Et Valerius M. vocat efferatam crudelitatem & auditu intolerabilem lib. 9. c. 2. plura videantur apud Grot. c. 11. per totum.

§. VII. Ne, inquam, hæc tangamus, ne terra vastetur, ne domus incendantur, lex apud Platonem invenitur lib. V. de republicâ. Et Tullius Vir sane belli sapientissimus Corinthum excisam, quamvis mirè in gentium jus deliquissent, legatis Romanorum illudendo, improbat, & bellum, quod tectis, parietibus, columnis, postibusque factum est *horrificum, nefarium, omni odio imbutum* dicit. Templis verò & sacris ædibus tanta fuit apud cultiores Gentes religio, ut in legem retulisse Græcos, narret Thucydides, ut qui in hostes impetum facerent à locis sacris abstinerent. Et Gothi, ut ut dirè admodum in captam Romam favirent, limitem tamen hic accipiebat trucidationis furor ut commemorat ex Augustino idem Grotius, ex quo antea nonnulla contra hæc adducebantur. Sepulchra verò diruere apud multos propudiosum fuit, ut exinde conquerentes Athenienses apud Livium legimus lib. 31. Vid. Ziglerus, in Grot. p. 5. 4. 2. Et hinc Romanos etiam post deditonem ignem immisisse *Artaxatis* (quod anectebatur) quod valido præsidio ob amplitudinem teneri non possent, eo minus excusari potest, quod plura alia fuerint, quæ superatum hostem continere potuissent. Quæ enim hostibus nocendi commoditas? Quis eives mansisset metus? ubi locorum amplitudo & habitatorum numerus securitatem præsidii moratur, subrutis mœnibus ac munimentis. Nulla planè. Plura exempla clementiorum ingeniorum recenset Johannes Baptista l. 13. & 12. addatur Forstner: ad Tacitum. Totum negotium expediri potest distinctione, quam præclare Grotius notavit. Licere quandoquè id dicitur (quamvis non nihil improprie) *quod poena non subjacet, & in quod non solet animadverti.*
Et sic

458

Et sic non tantum scortari, furari apud populos nonnullos licet. Sed & in bello recensita cetera enormia flagitia licent, h. e. vix solent incurrere pœnam, sed hoc licere, uti minus propriè licet; sic ab eo, cum non deceat, imò ab æquitate ac charitate Christiana abhorreat, sic improbatum est à sanioribus, ut id demum licere putarint, quod salvâ pietate & officiorum regulis fieri potest; ut rectum ex omni parte pi-umque est, uti Cic. pro Rabirio ita alloquitur Consules: Quid deceat vos, non quantum liceat spectare debetis, si enim; quid liceat quaeritis, potestis tollere è civitate quem vultis. Idem omninò dicit Plinius: Oportet, quæ sunt inhonesta, non quasi illicita, sed quasi pudenda vitare. Et sic non licere actus exercere, quas objectio urgebat, nemo non videt. Sed etsi liceret salvâ fide ac dignitate combuere ædes vel sacra vel alia quævis, id, eo velamento obtegi poterit, quod si hostis aliter ad deditionem adigi nequeat, aut hostis nisi solo æquetur munimentum, animum recuperatis viribus in obstinationem vertat, prosperosq; alios successus sufflaminet, aut absenti jam deditus rebellet; quem in finem THEBAS solo æquatas ab Alexandro Arianus commemorat (quamvis nullius rei à se actæ magis ductum pœnitentiâ unquam Alexandrum, quam quod Thebas evertisset, narrent Historici.) At verò quid ex mercatoriâ classe damni metui poterat?

§. VIII. Possunt verò aliæ rationes non minus prægnantes superaddi, inquirunt. Notum quippè & hætenus ita temperatum sævitia, ut tale quid hostis non aggrediatur unde innocentibus imminere perniciæ possit ut rectè Polybius lib. 5. inquit: Bonorum virorum est etiam cum minus probis non internecinum gerere bellum, sed hætenus, ut delicta sartiantur & emendentur, neque insontes cum fontibus unâ pœnâ involvere; sed insontium causâ etiam fontibus parcere. Rectissime Grotius in initio lib. in quo, quid belli jure liceat expositurus erat lib. 3. c. 1. §. 4., sic inquit: Quare etiam, quæ extra propositum accidunt & accidere posse prævidentur, cavenda erunt, nisi multò magis sit bonum, quò nostra actio tendit, quàm malum id, quod metuitur, aut nisi in pari bono aut malo, multò major sit spes boni, quàm mali metus. Constat quoque non ex alio principio sapius partitum civitatibus, quò innocentium puerorum & fœminarum sanguine manus cruentandæ fuissent, uti Deus ipse eo sese retrahi passus fuit.

fuit, ne innocentem perimeret cum nocente. Jam verò quòd insanabile hìc vulnus Batavis infligebatur, quòd pax è vestigio insequeretur, ut Hispanis, Gallis, Danis & Græcis confœderatis partim, partim amicis; Imò tantum non universo terrarum orbi de industriâ, innocentibus crudelitatem suam ostenderent? Auget a. crudelitatem maximè, quòd eos, qui sese jam sævitiae maris subductos superabant ac de tuto portu sibi gratulabantur, novò supplicio crueiaverint, atq; ad internecionem deleverint. Plura addi possent, dicunt, nisi hæc oppidò crudelitatem, quam contra rectæ rationis dictamen, jus divinum ac gentium laudabilem mansuetudinem in comburendis illis navibus exercuerunt, more aliorum, qui sub prætextu boni publici pleraque crudelitatis ac injustitiæ famam incurrentia excusant aut commendant, ut loquitur Forstnerus, detegerent, quibus de videatur Forstnerus in lib. 13. Anal. & 5. 12. in Tacit. lib. 3.

§.IX. Sed nec minus colore & suam sciunt sententiam obducere, qui prudentiam quandam eoque nomine, eò magis commendandum Britannorum facinus, quò majori fortitudine, astutiæ juncta, nullo fere suorum detrimento ausi sunt, ut Historia testatur ac perfecerunt, interpretantur. Quamvis enim, inquirunt, non approbandus sit veterum bellandi rigor ac apud barbaros hodiernos crudelitas, quâ vel quivis belli jure cadere dicebatur, qui intra hostium præsidia minus licet hostili animo vel etiam omni insuper habito discrimine seu profanis seu sacris destinata scirentur, ut Ictus Pomponius ait: *Cum loca capta sunt ab hostibus, omnia sacra esse desinant, aliæq; leges civiles id non improbent.* Quamvis inquam hæc forsitan, non jure belli; sed potius abusui ejusdem adscribenda veniant, cum tamen omnium quæ hostium sunt, hostis captor dominus efficiatur, adeoque sua corrumpere posse forsitan videri queat, ea tamen ex affirmantium concessione proculdubio omni jure belli peragere licet, quibus belli finis, h. e. pax, quam citissimè obtineri potest. Id verò cum commodiùs fieri non possit, quam si hostium vires frangantur, vel subtracto belli nervò pecuniis, vel frumentò, quo latrantes militum stomachi leniri possint, corrupto, ut recte Onesandrum supra dixisse vidimus, pecuniarum & frugū penuria bellum minuit, quantum auget copia, Britanni comburendo

457.

rēdo Batavorum naves, nihil peccasse utiq; videntur. Non enim nesciebant Britanni impensas navium tot mercatoriarum maximas, multo s, si non pudendam paupertatem; tamen ad eam inopiam redacturos; (quod nec Batavi inflictum damnum ad sexaginta tonnas aestimantes diffitentur) nec minus reduces eosdem ex Moskoviâ aliisque Septentrionalibus Regionibus magnam frumenti, cupri, ferri copiâ, annonâ hætenus attritam Bataviam refecturas, ut nec pauperibus cum inediâ conflictandum, nec de aliarum rerum Reipublicæ defectu conquerendum esset. Et licet negari nequeat, non tam in publicum redundasse detrimentum, quàm per id copias quorundam privatorum in angustum coactas fuisse, nec tamen negari potest, per latera horum privatorum damnum aliquod Reipublicæ perferensisse. Tum, quòd privati hi proculdubio eò adacti sint; ut tributo, tempore quidem belli gravius pendi solitum non fuerint ferrendo, nec urgeri ob damnum inflictum potuerint. Tum quòd reducibus istis navibus dicta annona imminuta, caritas adempta, multum adjutum fuerit publicum commodum. Imprimis autem in Batavorum Republicâ subditorum privatorum salus, salutis est publico, ubi ideò privatis eas navigationes largiuntur, quas alibi, qui τὸ κρηῖον obtinent, ad sese pertrahere assolent; ut flagitante Reipublicæ utilitate publicò succurrere possint, quod difficilius longè ab exteris contingeret, ut proximum bellum loquitur. Cum ergò pressam annonâ Bataviam refecturas hæc excursuras naves, constaret, quidni eodem jure comburere licuisset, quo jure ad interuersionem hostium comœatu eosdem intercludere, qui, si ex adventu hostium conservando servari non poterat, igne consumi quibat? Licere verò hoc quis etiam Christianissimorum Principum, qui ab omni sævitiâ abhorreret, inficiari posset, nisi hosti melius mallet esse quàm suis? Præstabat verò tunc corrumpere naves, quàm dimissâ capilatâ occasione frustra forsan vel certè dubiè inhiare redeuntibus.

§. X. Si urseris contra hujus sententiæ Patronos, diversissimam esse rationem, cum ideò nullis legibus, imò ne Christianissima quidem privare hostem comœatu liceat, quòd citra eundem hostis nec vivere queat, quin sic angatur, ut vel missa pertinaciâ, pacis oblata conditionem acceptet, ve ipse de mi-

tiori sententiã cogitare occipiat. Hic verò nec tùm vel indi-
 gebant comœatu multis demum mensibus post subsequituro, si
 modo animus hic fuit, vel si caruissent, aliò accipere erat in pro-
 clivi. Patebant alii fines, patebat mare necessitatibus subventu-
 rum. Grotius rectè tum demum agros ac fata urere licere, si ho-
 stis habere non possit aliunde, quo sese sustentet ait. Ut Archida-
 mus à devastatione Lacedæmonios dehortabatur, quòd alibi ac-
 cipere possent. Batavis vel tota Germania, tota patebat Flandria,
 Brabantia, quibus in Regionibus resarturis defectum comœa-
 tum intercludere Britanni non poterant. Expediunt verò illi se-
 se, si ita urseris facilè vel saltem videntur. Concedunt equidem, si
 de rigore juris sui concedere non nihil & jus charitate tem-
 perare vellet quispiam, parci posse agris, fatis, ac iis rebus, per
 quas conditio hostis non redditur deterior. Quò etiam Grotius
 abire videtur. Sed vix credi posse præter dicta superius damna,
 non etiam comœatus spem attritam & imminutam fuisse. Licet
 enim Batavi aliò ex Germania accipere queant, & ex Flandriã &
 forsan etiam haud iniquo; tamen quæ ex iis avehi potest Regio-
 nibus copia tantæ multitudini sufficere nequit, ut longè major
 frumenti copia vel ex Prussia vel ex Livoniã transportatur, quam
 ex aliis potest sperari Regionibus. Unde quando hæc rima præ-
 struitur, nõ potest non in annonã excrescere, atq; imminet ab iis
 tumultus, quibus cum inedia pugnandum est, adeoque insigni
 detrimento affici Respublica potest. Grotii autoritas nil juvat se-
 cus sentientes, utpotè qui tantùm de iis loquitur, qui in suis Re-
 gionibus tantùm acquirere valent, ut damnum nequaquam ex
 jactura unius faciant. Sic fortalitium inexpugnabile Saxoni-
 cum Königsteinium quispiam expugnaturus præter rem de po-
 pularetur circum jacentes agros, quòd fama ferat, suffecturum
 necessariò militi singulis annis enascens in illis frumentum?
 Batavorum verò frumentum inibi enatum vix millesimæ homi-
 minum parti satisfacere posse; quis nisi earum terrarum pror-
 sus ignarus ignorat? Parum quoque moventur si dixeris,
 quod vix cujusdam calculum promeriturus videatur, qui
 devastaturus esset agrum, ne intra anni forsan spatium hosti pro-
 deire posset, cum vix tam diu sit obsidio duratura. Et hac con-
 tinentia

250

inentia in proximo bello Germanico Batavos omnes in sui admirationem rapuisse exteros, in amorem verò incolas inflammasse. Sic ergò nec naves comburendas fuisse, intra demum trimestre, vel quadrimestre profuturas. Nam id adeò falsum esse dicent, quod non liceat æquitatis legibus urere fata urbis obsessæ intra annum demum pro futura, ut imprudentiæ summæ sit arguendus Princeps, si hosti non omnē sese defendendi adimat occasionem. Haud secus ac stultum foret, armorum cum possis avertere adjumentum, sive jam, sive olim profuturum demum cum victus æquè ac ferè magis necessarius ad resistendum hosti ac arma. Et ex eo potius deducitur pro hâc sententiâ argumentum, quod quia hoc licet, ergò & illud? Sed etiâ videtur ex eo legitimè hoc pronunciarum factum quicquid est, quod naves mercatoriarum in locum bellicarum surrogari possint necessitate urgente iisdemque imponi tormenta majora, quibus æquè hosti damnum afferri possit maximum. Bellicas verò delere naves hostis jure belli optimò jure hostem posse quis dubitat? Quidni ergò & id, quod damnum ipsi daturum periculum est maximum. Constat tandem Gentium non tantum crudelitati assuetarum, sed & Christianarum ipsorumque Batavorum nunquam ex jure Belli id sibi indulgisse. Experta id fuit toties Classis Indica Hispanorum, quam Dominis æquissimo jure subtraxerunt Batavi, & ista mercatoria erat, nullum damnum illatura hostibus, si modò sibi latere tecto discedere liceret. Par sane videtur harum navium, quæ non minus maximo videbantur emolumento Batavis futura quam illa argentifera in abundantia summa. Nec tamen hæcenus hoc improbatum quisquam: Quidni ergò & Britanni rectè egisse putandi essent, quo diu aliis nunquam improbatum hæcenus.

§. XI. Promptissimè nec minus se expediunt circa fundamenta, quæ illegitimum pronunciarunt actum sæpius dictum Britannorum. Concedimus, inquit, lubentissimi apud Christianos in primis meram interpretandam esse petulantiam, cum nullo neomeo emolumento, nec hosti detrimento, animum tantum explendi gratiâ, vel ferro vel igne quispiam in innocentes grassatur, quamvis hæc omnia & olim & jam jure belli excusentur impuneque liceant.

Nil

Nil verò vel emolumentum in Britannos redundasse, vel detrimentum Batavos coepisse, est expressè Historiam negare. Illud enim, ut ut nullum videatur, quia quæ erant prudentia Britanni, depredationem navium capitali pœna interdixerant, maximum tamen erat, Et, quod hosti viribus admodum fractis, cogitationes pacis citius persuadere possent ac aliàs factum esset, & quod sic imminuerentur in multis aliis, ut supra expositum est. Detrimentum in Britannos nullum est, nec ex unius navis incendiariæ, quod enim hoc damnum! nec quod delendo quasdam amicorum naves ad restituendum omni jure adstringi quivissent. Ne enim jam negemus damnum id intelligi sub obligatione damni, quod hostibus meis sese immiscuerint, qui citra eorum detrimentum lædi non potuerint. Certè navis pyratis plena aut domus latronibus referta tormentis peti potest, etiam si intra eandem navem aut domum sint pauci infantes, mulieres aut alii innocentes, quibus inde creetur periculum, ut rectè videatur colligere ex eo Augustinus: *Nec reus est mortis alienæ, qui, cum suæ possessioni in murorum ambitum circumduxit, aliquis ex ipsorum usu percussus interiit.* Quamvis cœterà concederetur non fieri capientium, quæ apud hostem reperiuntur. Ne verò, inquam, hoc negemus adeoquæ ad restitutionem ex compensatione damni tenere Britannos largiamur, nec tamen hoc detrimentum æstimandum esset, cum gravius damnum hosti dari potest; imò non rarò gravius nobis non refugiendum est, si modo maximè hostium convellere robur possimus. Hoc autem maximum fuisse querelæ fat loquuntur, confirmantquæ mercatorum.

§. XII. Quorum damnum ipsius Reipublicæ damnatum rectè dici, dubitari prorsus nequit, tum quod pars sint societatis, ac unius corporis, quæ læsa non potest non corpus integrum sentire damnum, ut loquitur Claudius Sefellius l. i. de Republ. Gallicanâ. Tum imprimis, quod depauperati Cives non sint pares majoribus belli sumptibus ut superius dictum. Et licet negari nequeat, non unâ vice periclitari solere mercatores navium instruente classem, ne si minus æquum Neptunum Æolumquæ sentiant, non statim ipsis sit pereundum. Hoc tamen sufficit, quod tantum procul dubio fuerit damnum ut non sicut antea Reipubl. succurrere valuerint. Quod verò tandem asseritur, licet & Publicò nomine ituræ naves perierint plurimæ,

961.

rimæ, non tamen tam robur, quàm divitias ademptas esse, id nimis jejunum est. Cujus quæso adminiculo bella geruntur? Nervus sanè belli creditur pecunia, ut in antiquissimo proverbio est. Et si hoc datur, multum divitiarum detractum Reipubl Batavicæ & multum simul eorundem vires fractas esse sponte sua sequetur. Non sanè ad pristina tempora, quibus in pro Patria mortem oppetere nulla vel lucri cupiditate, vel gloria, solius Patriæ amore ardebant; quæ Græci famâ præ aliis eminebant, hodierni mores. Nisi quotidiè exsolvitur stipendium, hinc turmatim ac catervatim signa deferre, illinc à trucibus truculentos moveri audies tumultus. Id quod Polonia tantum non penitus everfa, certè ruinæ proxima, suo exemplo comprobatur. Imprimis autem non potuit non maximè res Batavorum concuti ac perturbari, (ut ut dissimulare didicerint optimè,) quod non suo tantum; sed & extraneo milite mercedis gratiâ militante usi fuerint, qui solutioni inhians parum pensi, quid domino fiat, habet, si non exsolvitur menstruū, vix redintegrabit spontè prælium, ut ut ulcisci injuriam possit, ut optima rerum magistra experientia edocebamur optimè. Legimus equidem in Historia Exempla, in summas angustias redactum Hostem desperandum extrema tentasse, sæpiusq; rem ferè transactam restituisse. Hinc si Bodino credimus de Republica lib. V. cap. V., decem circiter millia desperatorum hominum, quadraginta quinque millia fugarunt. Et præter Græcas Romanasq; historias, quarum ex Livio Julioq; Cæsare imprimis magnus numerus adduci posset, notum est, quid effecerit desperatio in priori seculo in Gallia protestantibus. *Cum debellatum, inquit, Foxius apud Thuanum lib. 59. in princip. omninò crederetur & sublatis primariis Protestantium ducibus ac flore nobilitatis extincto, nulli toto regno superesse crederentur: tamen unius aut alterius Urbis diuturna, juxta & damnosa obsidione præceps ruentis fortune impetus quasi sufflaminatus est & ex illorum cineribus & reliquiis, homines novi, nec opinato exorti, qui non ad vires suas: sed ad præsentem necessitatem respicientes contempto periculo ex desperatione consilium cæperunt & totum hoc regnum subitis motibus repleverunt, sociis horrenda illâ strage absumptis formidabiliores, quod desperatione adacti bellum gererent.* Scilicet desperatorum est ad

C

mor-

mortem obstinare animos & in sanguinis sui, quam alieni effusione victoriam collocare. Victis subinde redit in præcordia virtus ex desperatione, ut loquitur Jacobus Libleu p. 21. de Transit. Exercit. Sed hæc consuetudinis usitata exempla, civium tantum gloriæ majorum ante partæ recordantium; militis verò conducti animositatem haud evincunt.

§. XIII. Sed nec divinum præceptum crudelitatis evincere navium Batavicarum combustionem autumant, eò quòd nec ipsi, qui illud urgent, nisi eo usque extendunt, quatenus ejusmodi arbores nequamquam pro tunc obsessis, possint esse emolumento, ut Grotius exponit, lib. 3. cap. 12. *Si nos ipsi rem frugiferam ita teneamus, ut hostibus non possit esse in fructu* §. 2. l. cit. Grot. *Obsidentibus verò nec detrimento.* Concedentes ceterà, cum hodiè ob inventa tormenta non liceat excludere emolumentis obsessos, & aliàs retardent ictus tormentorum excindi posse penitus, haud secus ac arbores feras. Quæ omnia concedimus, inquit, utpotè quòd mera fuisset petulantia excindere arbores nec hosti profuturas, nec mihi detrimentosas. Aliam verò esse rationem navium mercatoriarum supra expositum est. Quamvis enim in hoc convenient cum arboribus, quòd non secus ac arbores non resistant, aut ut hostis naves corrumpere intendant, per eosdem tamen mirè hostium vires attritas reprimi possunt, optimas ut quasque pacis compositiones eludat. Hispanorum certè innata elatio, nisi toties classe exuti fuissent, nunquam de compositione amicâ cum Batavis, ut vel sollicitati, solliciti essent, permisisset. Nec facile probandum existimant Rabbinorum Commentarium ad quarumvis etiam ædium combustionem hanc legem trahentem torquentemque, cum & ex sacris constet & in bellis non Deo tantum, quæ Gentilis Grotiusque appellat; sed aliis in quibus Deus consultus citra ullam reprehensionem urbes conflagratas esse, ut de Benjaminis Sacra testatur Historia.

§. XIV. Nec magis se se excusare possunt, qui huncce Britannorum fortitudinis actum fœdare sustinent Jure Gentium, inquit, Concedamus enim licet, jure gentium non tantum sævitia hostium exempta fuisse ætatem, sexum, Sacerdotes, Agricolas, sed & ipsos mercatores, quòd vita eorum abhorreat arma.

§. XV

§. XV. Quamvis, & nec apud cultissimas gentes, ex quarum constitutione jus gentium cetera aestimari solet: Romanorum; Græcorum, aliorumq; saniorum populorum desint exempla plurima, juxta quæ adeò nemo exceptus fuerit, ut qui forte fortunâ tantum hosti se se associaverit, eidem fato obnoxius fuerit, ut ex Cic. pro Marcell. colligere est, cum inquit: *Nam cum ipsius victoria conditione jure omnes occidissemus, Clementiae Tuae judicio conservati sumus*; id tamen nec hisce nostris temporibus nos adstringeret variè rerum statu mutato, nec si ut adstringeremur, æquum esset, ad mercium mercatoriarum immunitatem ab immunitate mercatorum necessariam dicerem, sequelam. Non illud. Cum nesciat nemo, olim Romanorum militem cum delectu, non nisi jam exercitatum aliquatenus conscriptum fuisse ex Tribubus, ex quibus nemini licebat detrectare militiam, Coloniae ac sociis viribusque hostilibus oppositum fuisse. Quos postmodum æmulati feliciter Mammaluchi, domesticum militem à primâ pueritiâ ac penè infantia raptum ad arma atq; educatum, multa victus abstinentiâ tolerantiaq; laborum & militarium operum exactione rigidissimâ alentes. Sicut quoq; id deploramus hodie in Turcis, quod militari virtute in tot Regnorum excidia evaluerint; ut tot populis, tot regibus ad jugum imponendum suffecerint. Hodie verò qui conscribuntur milites, non ex domesticis tantum; sed ex quocunq; genere hominum, non à pueris victus abstinentiæ tolerantiaq; laborum assuetis, sed hodie *cum timpanum strepit, coeunt protervi, otiosi, legum impatientes, maximi mulierum mæchi, aleatores, urbium suarum fex & purgamentum, quibus neque boni intellectus est, neque mali cura, qui neq; in victoria decus, nec in fuga flagitium putant, ut rectè ait Forstnerus Tom. I. ad Tac. p. 549.* Olim ergò mirum non est, quòd immunitatem hanc consecuti sint mercatores, quod armis assueti, nequaquam ad armorum vel sonitum trepidârint horruerintquè, nec præter velle attulerint quicquam, adeoque nequidem in hostes computati. Hodie verò cum æque ut plurimum milites sint ex mercatoribus, non minus robur accedit hosti, quam ex ejusmodi hominum quisquiliis. Ergò rectè jam si non pro hostibus habentur offensi absq; armis, certè detinentur

C 2 capti-

captivi, ne augere numerum hostium possint, quod olim vix ad rem factum fuisset. Non hæc, quia dato, quod mercatorum multitudine vel defectu nec augeatur, nec minuatur numerus hostilium navium; tamen vel redeuntium vel emanentium ac apportantium necessaria augeri l. minui vires hostium possunt, ut ostensum supra fuit. Inprimis autem & argento defectus compensari poterat per cupri importationem, utpotè qui metalli usus ibi jam in usum evaluit. Unde licet historiarum monumenta testentur & nonnunquam à mitioribus hostibus, ab arboribus frugiferis, quod sibi expugnata urbe, suisq; nepotibus fructus ex illis sperandi essent, & ab hæredibus quod easdem possessum à se iri aliquando spes sit, ut Alexandri vox erat apud Justin. lib. II., aut quod nihil incommodi ex eo sibi esset sperandum, temperatum fuisse, quã de causa parcitum agris nonnunquam legimus, aut ne abalienarentur animi, quod Hannibali contigit lib. 26. navibus tamen parcitum esse, nec legimus, nec omisisset exempla Grotius, qui in cap. 12. in eo totus fuit, ut à violentis urbium direptionibus, ignis immisionibus, agrorum corruptionibus militem avocaret ac abstraheret.

§. XVI. Circa testimonia, Urbes non esse diruendas, vel saturaenda, vel loca sacra diripienda, se quispiam facilè expediet; inqviunt, cum dixeris: de eo illis Autoribus esse sermonem, quando nihil vel emolumentum sibi l. hosti ex eo nascitur detrimenti, quo in, inqviunt, non magnopere repugnamus. Sic Cic. invehebatur jure in immoderatam irracundiã, quam exercuerant in Coryntho excindendã, cum jam de violatoribus juris, Gentium sanguinis pœnas exegissent. Idem dicendum de reliquis. Romanis si aliã ratione sibi securis esse licuit, certè vix liberare queunt, quòd Artaxatis ignem immiserint, quamvis contra jus suarum gentium receptum egisse non facilè dixerim. Quod porrò dicitur: posito quòd liceat ædes diruere jure Gentium, forsàn, quod possint tetardare victorum felicitatem; non tñ. de navibus detrimenti nihil afferentibus procedere, id falsum esse, ut supra expositum, dicunt, ut non tantum par sit ratio in hoc, sed eo citius consumendæ sint, quod majus apportaturæ fuerint emolumentum, si salvæ rediissent.

§ XVII. Dicis, inqviunt: sit ita, auctas esse aliquando vires hostium ferro ad tormenta conficienda, cupro ad mon etam cuden-

95.

dendam, ex hoc tamen capite non licet perdere, trucidare, consumi, nisi pari ratione nec sexus nec ætatis rationem habere volueris, cum notum sit, quod & fœminæ summâ cogente necessitate numerum hostium augere possint, vel muniendo, vel necessaria apportando, vel molendo, nec minus ex pueris, nisi bellum componatur, aliquando hostium roborari posse copias. At verò etiam hîc magna est disparitas, quæ in eo consistit, quòd hîc navium adventus vires jam fractas ex parte restauraturus fuerit brevi; Ergò & eadem ne augeantur copias, perdere licet. Pueri verò innocentes brevi non erant liberaturi; sed longo demum temporum intervallo Patriam quando adoleverint, ad quos annos bellum esset extendendum sperari vix poterat. Quod si verò periculum sit evidens in multos annos bellum prorogatum iri, & pueros captos asservari licere usquè dum bellum componatur, certi sumus. De mulieribus verò virilia cætera non ausis, quod ex Grotio addendum est, distinctè respondeamus. Aut ad maximam paucitatem hostis est redactus, vel brevissimè redactum iri constat, ut miles vix defensionis, nedum aliis laboribus sufficiat; & tunc, si maximè morantur urbis expugationem, quidni interficere liceret? Cum igitur causa, quare hanc prærogativam habeant, desinat & ab innocentia non defenduntur. Sin v. tale quippiam sperari non licet, quidni abstineret manus à cæde innocentis, ut nil jam dicamus vix concludere licere à perditione rei inanimatæ, ad ea, quæ in eadem specie Deo nobiscum ponere placuit. Ultimis tandem rationibus, quod temperare sibi utique debuissent Britannia conflagratione istâ, quod plurimi & innocentes perferint damnum itidem jam satisfactum, inquit, putamus, vel ab adversariis, quia largiuntur parcendum esse infontibus, in quantum citra magnum detrimentum amoveri damnatio potest. Jam vero hic istud mutari non potuit, quia sese inmiscuerant navibus Batavorum, quas solas in favillas redigere animus erat. Negligentiæ ergò suæ potius imputent, quod Britannorum navibus tot diebus antè conspectis, in securiorem locum suas non deduxerint. Grotius potius nostræ sententiæ patrocinator inquit, cum addat: *cavendum erit, nisi multò majus sit bonum, quo nostra actio tendit, quàm malum id, quod metuitur.* Hic verò multò majus commodum fuit. Ne producamus jam istud, quod ibidem ad-

ducit vir doctissimū: Ut nostrum consequamur, si tantum accipi non potest, plus accipere nobis jus est sub obligatione tamen restituendi pretium ejus quod redundat. Si ergo restitutio reliquis facta, quæ forsitan facta est, ex hoc principio obtineri potest nihil.

§. XVII. Utriusque sententiæ rationes sic Lectori exposuimus, animus jam quoque erat circa unamquamque nonnulla monere, sed de renti chartarum & temporis, quod Wittebergæ commorandi à Patronis benevolè concessum est angustia, paucis tantum quid sentiamus declarandum erit.

§. XIX. Non autem hanc posse quæstionem ritè decidi arbitramur, nisi præsupponatur, ut in Scholis loquimur, bellum hocce Britannorum justis de causis esse susceptum in Batavos. Non enim actum quempiam injusti belli justum pronunciarì convenit, si causa est injusta, uti justis belli ratione causæ, injustum quempiam actum pronunciarè licet. *Sed si belli causa injusta est, etiamsi bellum solenni modo, ut rectè inquit Grotius, susceptum sit, injustos esse, interna injustitiâ omnes actus, qui inde nascuntur: Ita ut qui scientes tales actus operantur aut ad eos cooperantur, habendi sint in eorum numero, qui ad regnum cæleste sine pœnitentiâ pervenire non possint.* Vera autem pœnitentia, si tempus & copia suppetat, omninò requirit, ut is, qui damnum dedit, resarciat, sive interficiendo, quod fit, si homicidii solvat impensas factas in Medicos & alimenta, quos alere ex officio occisus solebat, sive corrupendo, sive prædas agendo id ipsum resarciat, ut pulchrè rem exponit in toto cap. 10. Grotius. Quod si verò injustum, ut dictum, fuisset Bellum Britannorum in Batavos, & hunc actum multis modis injustū pronunciarè esse dubium planè est nullum. Sed si præsupponitur, justum fuisse belli titulum & classem eo ipso Batavorum ipsam adiutum iri constabat, & tunc jure belli licitam fuisse ejusmodi damnationem arbitramur. Si n. ejusmodi intactæ essent relinquendæ naves mercatoriæ, quæ animam ac nervus rerum in Bataviâ gerendarum sunt, vires certè minuerentur nunquam. Nunquam pax speranda esset, quæ tamen omnis belli finis rectiùs sentientibus omnibus, omnibus suffragantibus necesse est. Plura addere non est jam integrum. Deo sit gratia!

Nobilium pater undarum licet Albis habenas
 Laxarit tumidis fluctibus, amne ruens :
 Mulciber infidias risit, flammâqve rapaci
 Britonum pastus, quâ data porta, rates,
 Vicit, ait; gelidis commissus fontibus ignis,
 Æolii regni prisca tropæa cadunt,
 Talia facundo depromis LADIVER ore,
 Victorem stadii Te quoque palma manet,

PRÆSES.

Iam jacta Martis alea est: sævis juvat
 Concurrere armis. *Battabus* sed non chalybs
 Sternit *Britannos*, Mulciber, frustra licet
 Fremente ponto, nec rogo delet rates;
 Ast eruditi LADIVER belli cies
 Acuta castris Palladis, scuto latus
 RÖSERIANO sepiens plaudit Tibi
 Victoria alis, palma dexteram manet.
 Sublimioris lætior surget seges
 Honoris olim Patrios penes lares
 Mens docta spondet; Faxit Arbitrator Poli!

**M. Georgius Fridericus Magnus, Pōsoniō-
 Hungarus.**

Hungara sæpè dolis, quod sit vexata, quis aufit
 Per *Turcum* tellus, famâ referente, negare?
 Convenit ergò Tuis cœptis, dum Præfide Clarò,
 Cumbustas mirare rates LADIVERE, Baravûm,
 Buccina nostra Tuos votorum clangit ad ausus,
 Ad Patrios mittens doctissima bella *Penates*.

*In honorem Præstantiss. Dn. Respond. Amici ac Con-
 tubernalis sui suavissimi, cum omnigenæ felicitatis
 voto apposuit*

Martinus Maurer, Kis-Schenckinō Transylv.

Horrida Neptuni, Vulcani, Martis & antra,
 Herculeos animos, dum petis, hem superas!
 Ars tua Mars felix, meditatio flamma repurgans,
 Discursus facilis sit, precor, unda fluens!

**Matthias Moltzani, Seleceno-Hungarus,
 SS. T. & P. S.**

Hand

468
Tm
5099

HAud secus, ac navis, quæ vasto gurgite fertur,
Nil furias curat, nec maris horret æquas:
Intrepidè sic TU celso de ponte Cathedræ
Solvis contortis dicta vibrata plicis.
Gratulor hinc ausis LADIVER Doctissime magnis,
Gratulor, ingenium non latuisse TUUM.

Andreas Gallikius, Rosn: Hung.

Cœca dolis hostes vincit Bellona frequentèr
Hinc nec, *virtutis*. iusta corolla cadit.
Sit dolus, aut virtus, quisnam de Marte requirat.
Si modo *viatores*, hoste trophæa ferunt.
Bellica defendis dum hæc LADIVERE, per opto,
Quò Deus, ista tibi, *bella* secunda velit.

Georgius Fidicinis, Hungarus.

Vellivolum, est audax, qui non horrescit ad æquor
Nec trepidus spectat, vulnera nulla, neces.
Audacem nunc te præstas LADIVERE quod audes,
Combustas Batavi, cernere fortè rates.
I, Deus, audaces fortuna jubant, LADIVERE,
Credo, sub tanto, Præsidi victor eris.

Michael Corvini, Cremnitziò Hungarus.

Præsidi RÖSERO, FRAGARIA, nobile fidus
PANNONIÆ, calidis quem votis expetit, acris
LADIVER ingenii dotes, haud segnis arenam
Palladium calcare, aperis, promissq; disertâ
Divitias animi lingvâ comitante frequenti
Pieridum plausu. FRATRIS vestigia passu
Sic simili premis; absimilis non fama sequetur.

gratulas apposuit

Samuel Kochmaister / Neozolio Hung.
Medic. Cultor.



1077

Q.K. 376, 20.

DIS
JUSTI
COM
NAVI
A BRI

IN FLORENTI
IN AMPLI

M. JAC
SONDERSE
ILLUSTRIS
HUNGAR

SAM

ERU

AD DI
ANN

In Officinâ

S,
IATIS
IDIS
ICIS
IEN-

BERGENSI,
OPHICA

SEB/
URGICUS,
N SUPERIORI
F. ORDIN.

ER,

NIT

UTINIS
XVIII

EL METER.

II n
5099



T 21 20

